

in loco mendum esse puto in voce ἡρημεῖν, nam contraponitur immobili debetque legi κινητόν, nec est mirum id hoc loco esse, cum hi libelli cum tertio contra Gorgiam corruptissimi sint. Ante hanc sententiam Theophrastus Xenophani adscripserat, sed esto  
 5 etiam Zenonis. Aristoteles omnia haec capita refellit, cum tamen ipse quoque Deum unum et aeternum esse contendat. Sed refellit, quia, ut de corpore aliquo haec dicta essent interpretatur, exprimit id fine istius redargutionis Zenoni attribuens:<sup>22</sup> *Ipsa* [298] *enim corpus dicit esse Deum, sive hoc universum, sive quidvis alius*  
 10 *ipse ait.* Non quidem Zeno id aperte dicit, sed Aristoteles assumit, ut consequens sphaerico esse, ait namque:<sup>23</sup> *Incorporeus cum sit, quomodo sphaericus fuerit?* Mirum, cur etiam ovum Orphicum non susceperit confringendum, ex quo dii prodierant. Aristoteles ipse duplicem novit cognitionem intellectus rectam et in se revolutam, illam cum intellectus alia intelligit, hanc cum se ipsum:  
 15 hanc ipsam sapientes Aegyptii ac Hebraei sphaerae assimilarunt, rotam in medio rotae, hunc mundum sphaericum in intellectuali sphaerico esse dicentes. Et Parmenides, quem Aristoteles affert, dixerat de Deo ipso:<sup>24</sup> *Undique contornatae sphaerae similis mole.*  
 20 *Similem dixit moli non molem esse.* Similitudo autem haec in eo est, quod Dei intellectio a se incipiens in seipsam desinit, non aliter quam sphaerae coelestis motum Aristoteles ipse docuerat in id desinere unde moveri coeperat, idem et principium et finem esse ideoque aeternum facit.

25 Nulla ergo necessitate induxit Aristoteles, quia Deus sphaericus esset a Zenone dictus, eum esse etiam corpus. Itaque corruit omnis redargutio ista atque ideo subvertuntur, quaecunque contra motum, quietem, finitatem, infinitatem, contra corpoream sphaericitatem direxit nec non quae contra generationem vel ex  
 30 simili, vel ex non simili, vel ente, vel non ente factum est, ab eo disputatum. Deum autem videre, audire, reliquos sensus habere, nihil aliud est quam metaphorice expressa Dei intelligentia, quae

<sup>22</sup> αὐτός γὰρ σῶμα λέγει εἶναι τὸν θεόν, εἴτε τόδε [δὲ] τὸ πᾶν, εἴτε ὅ τι δὴ ποτε αὐτὸ [αὐτός] λέγων. [ARIST. Xen.979a.5–6]

<sup>23</sup> ἀσώματος γὰρ ὦν πῶς ἂν σφαιροειδῆς εἴη. [ARIST. Xen. 979a.7]

<sup>24</sup> πάντοθεν, εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ; [PARM., Fragm. 8.43]